

PROLUSIO

R.MI PATRIS GULIELMI GAUDREAU
SUPERIORIS GEN.LIS ET RECTORIS MAIORIS CssR.

In Congressu Mariano Internationali currenti, deesse non poterat Sectio particularis Congregationis SS.mi Redemptoris. Ex nostra enim parte omnino debita praesentia nostra, ut publice testaremur permagnum nostrum erga Matrem divinam amorem et affectum eodemque tempore compendium breve exponeremus operis, quod Institutum nostrum explevit pro definitione dogmatica anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto facta, cui inter alios Redemptoristas qui sortem felicem assistendi habebant, aderat cum corde summae laetitiae pleno Venerabilis Confrater noster Pater Ioannes Neumann, episcopus Philadelphiensis. Talis participatio etiam necessaria erat nobis tamquam filiis Sancti Alfonssi, qui opere suo praecellentissimo, cui titulus «De Gloriis Mariae», haud dubie caelum temperaverat magisque idoneum reddiderat, ex quo postea tanto facilius emanare potuit Bulla Pii Papae IX : *Ineffabilis Deus*. Omnes plane sciunt, tres illas propositiones, — quo scilicet Beata Maria Virgo in Concepcione est Immaculata, in caelum corporaliter assumpta est, omniumque gratiarum Mediatrix est constituta, — tot gemmas fulgentissimas esse diadema Mariologiae Alfonsiana pulcherrime exornantes.

* * *

Hodie, mane et cras, novem collationes praesentabuntur, ex quibus summatis apparebit opus non exiguum, quod praedecessores nostri compleverunt quoad cultum, artem, historiam, maximeque quoad disciplinas dogmaticas. Dilucide exponetur devotio ardens, quam Institutum nostrum Mariale iam ex incunabulis erga Reginam caelestem «sine labe originali conceptam» enutritivit. Vere

consultissime egit sanctus Fundator noster, quando volebat, ut Maria Immaculata cognosceretur Protectrix principalis Instituti nostri, quod natum est temporibus tali dogmati tam hostilibus; quod faciendo, vexillum elevavit significativum deditque filiis suis mandatum fideliter custodiendum. Primi confratres nostri venerabiles in Capitulo generali, anno millesimo septingentesimo quadragesimo nono celebrato, congregati, una voce et ex imo corde laudabiliter decreverunt: «Post cursum theologiae consummatum omnis subditus votum emittere debet defendendi doctrinam Conceptionis Immaculatae Mariae». In illis iugiter accensis controversiis inter sic dictos «Maculistas» et «Immaculistas», filii Sancti Alfonsi non ambiguam assumebant positionem. Qua de re animo impavido et corde intrepido semetipsos collocantes iuxta aliquas universitates studiorum celeberrimas Europae, sectati sunt vestigia et exempla praefulgentia sancti Fundatoris sui, quem universi tamquam Doctorem ultimum Immaculatae Conceptionis rite ac recte salutant. Cunctis quoque notum est, Redemptoristas, totos ad sanas doctrinas Mariales propagandas deditos, hostibus numquam ne palmum quidem cedisse, immo se indefessos exhibuisse ad novas maioresque victorias adipiscendas.

Inter cunctas has novem collationes a nostris proferendas, punctum centrale, ut fas est, occupat doctrina de Conceptione Immaculata Beatae Mariae Virginis, iuxta cuius basim stat sicut magister Sanctus Alfonsus. Doctrina igitur sancti Doctoris prae oculis habita, quae nobis patrimonio pretiosissimo est, tractabitur connexio inter Conceptionem Immaculatam et Assumptionem Beatae Mariae Virginis; inter eius Conceptionem Immaculatam et Corredemptionem; inter eius Conceptionem Immaculatam et Regalitatem. Famosa quoque illa controversia Sanctum Alfonsum inter et Ludovicum Muratori examinabitur; neque praetermitetur, doctrina ascetica quoque spectata, influxus permagnus, quem Mater nostra Immaculata in vitam intimam spiritualem nostram exercebat, praesertim primo saeculo Congregationis nostrae, quando corona virorum sanctorum instar totidem siderum inicantium ipsum sanctum Fundatorem circumdedit, inter quos enumerari possunt Venerabilis Pater Sarnelli, Venerabilis Dominicus Blasucci, Sanctus Gerardus Maiella, Sanctus Clemens Maria Hofbauer, propagator insignis Congregationis nostrae. Par-

ticulares quoque collationes proferentur de relatione inter Beatam Virginem Immaculatam et praedicationem nostram missionariam et de carminibus devotis Sancti Alfonsi, quae in diem hodiernum sive idiomate originali sive versionibus a populis cantantur.

Ecce programma; summatim propositum, quod competentia debita, licet ad modum aliquanter compendiosum, exsequendum est a Reverendis Patribus, qui in adjunctis tam faustis et memoria dignis ad hunc Congressum invitati sunt. Neque abscondere velim, me ex eo quoque contentissimum esse, quod testari mihi licet, partem magnam Instituti nostri repraesentari in offerendo hoc obsequio doctrinali Beatae Mariae Virgini; nam praesentes sunt Patres ex Italia, Hispania, Belgio, Hollandia, Helvetia, et Statibus Foederatis Americae, provenientes scilicet ex regionibus cultura tam latina quam germano-anglica gaudentibus.

* * *

Hic labor in respiciendo retro ad has res Mariologicas impensus, nobis plane excitamento fortissimo esse oportet, ad materias tractatas cum spiritu alfonsiano habituali semper profundius examinandas. Studia huiusmodi generis litteraria, historica et theologia de Maria Sanctissima Immaculata instituta influxum salutarem ac beneficum ex parte sua exercebunt non solum in vitam nostram religiosam sed etiam in ipsum ministerium nostrum apostolicum.

«Ad Iesum per Mariam» - ad Mariam recurramus necesse est, quo securius ad Iesum Christum perveniamus. Haec propositio proculdubio conscientias illuminavit missionariorum nostrorum tempore praeterito; cuius gratia mirabilia ac stupenda apud animas vel maxime obstinatas operati sunt. Eademque propositio secretum esse debet missionum nostrarum hodie et in posterum, sub qualicumque caelo: Quod si facimus, vocationi nostrarae fidèles inveniemur, quia spiritus genuini Redemptoristae prorsus Marianus est.